

2

ORDINIS MEDICI
IN
VNIVERSITATE LITTERARIA IENENSI

H. T.

DECANVS
D. CHRIST. GOTHFRIED
GRVNER

BOT. ET THEORET. PROF. PVBL. ORD.

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

CLARISSIMI MEDICINAE CANDIDATI
AVGVSTI IOANNIS GEORGII CAROLI
BATSCH

IENENSIS

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET ARTIVM LIBERALIVM MAGISTRI

A. D. XI. MAII MDCCCLXXXVI.

HABENDA INDICIT.

Insunt

Fragmenta Medicorum Arabum et Graecorum

DE VARIOLIS

I.

IENAE
LITTERIS HELLERIANIS.

ORDINIS MEDICI
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA HEBERNSI
D. DECANVS
D. CHRIST. GOTTFRIED

C. R. V. N. E. R.
BOT. ET THEOR. PROF. PUBL. ORD.

SOLLENNIA INAUGVRALIA
CLASSICISSIMI MEDICINAE CANDIDATI
AVGVSTI IOHANNIS GEORGI CAROLI
B A T S C H

PROFESSORIS DOCTORIS ET AGRICOLAE LIBERALIVM MATHEMATICARVM

A. M. XI. MAII MDCCCXXXVI.

PLACENTA INDICIT.

Fragmenta Medicorum Arabum et Graecorum
DE VARIOLIS

I.

L E Y A E
LITTERIS HEBERIANIS



FRAGMENTA
MEDICORVM ARABVM ET GRAECORVM
DE VARIOLIS.

PRAEFATIO.

Mira sunt hominum librorumque fata. Claritas vtriusque tam fluxa et caduca est, vt post exiguum temporis spatium pauci sint, qui horum merita et praestantiam in memoria habeant, plurimi, qui sibi laudi ducant praeterita spernere, praesentia laudare, nihilque magnum facere, nisi quod nuper aliquis ex amicis scripsit. Hanc equidem malignitatem et malevolentiam nostratium nec laudabilem, nec imitabilem existimo. Ducitur enim quisque et tantum non trahitur honoris nominisque studio, et quantum in se est, ad reipublicae litterariae incrementum confert, vt et viuus, et postgenitis placeat. Aufer hunc bonis doctisque viris stimulum, et litterarum studia deseruescant necesse est. Praeter haec indignum bono viro videtur, eos, qui aliquot seculis ante

fuērunt, et suo quoque tempore claruerunt, omnino reiicere, quasi essent glandibus vescendis nati porcorumque fratres. Veniet enim tempus, quo tales e tribunali sedentes iudices idem fatum improbitatisque odium apud posteros experiantur. Sua ergo cuique seculo laus, suus cuique eruditorum honos constabit, modo desinamus omnia ex nobis metiri, nihil vtile reputare, nisi quod coaequales ratum bonumque voluerunt. Habet ergo quaeque aetas, quae scire doctum virum interest. Habent et Arabes medici sua bona, si quis sine vlla praeiudicata opinione partiumque studio horrida monimenta inspicere, vel per multam praxin adire possit scilicet. Taedium enim, quod et incomtum dicendi genus, et vocabula barbara inter legendum adferunt, lenitur velutique sopitur vtilissimarum rerum a) multitudine. Insunt multa, practicis medicis etiamnum proficua, insunt et rudimenta quorundam morborum, quos sibi lucro esse sciunt. In his sine dubio principes sunt *variolae*. Quae Arabibus b) debeantur, nec ne, nihil refert. Id vero facile intelligitur, potiora de hoc argumento momenta, quod ad historiam morbi, symptomata, signa, causas et curationem attinet, hic reperiri. De singulis vuculis, sumtionibus, remediis et compositionibus non quaeritur; Id vnum volumus, vt, quae horum hominum fuerit medendi via, vniuersè dispiciamus. Nam nec in recentiorum medicorum libris omnia, quae hinc inde commendantur, cuique placent. Homini propria velutique insita est curiositas quaedam rerum cognoscendarum, quae apud maiores vsu euenerunt, quidni et medicus medicinae

a) Cf. *Reiske* et *Fabri* Opusc. med. ex monim. Arab. et Ebraeor. Hal. 1776. In praefatione Arabum merita in medicinam ex aequo diiudicauit.

b) Sunt, qui ab Arabibus repetant origines variolarum, quoniam illi, quantum scimus, eas primi seorsim explicarunt, et cum Europaeis communicarunt (vid. *Werlhof* Disquis. de variol. et anthracib. p. 469. seq. Opp. et mea Diss. Variolar. antiquit. ab Arab. solis repetend. Ien. 1773. et *Morb. Antiquit.* p. 16 seq.) Sunt, qui negent. Vid. *Sarcone* von den Kinderpocken, Gotting. 1782. Vtraque opinio ferri potest, modo rite explices. Nam ipse historicus ap. *Reiskium* l. c. p. 8. seq. auctor est, eas a. 572. demum per Aethiopas in Arabiam deuenisse. Certa ergo est patria, incerta ad varios populos migratio.

nae veteris curiosus esse debeat? Sunt, qui aliter sentiant; His quidem licet haec reliquias Arabum et Graecorum intactas relinquere. Nunquam enim volui placere iis, quorum scientia arctis praxeos cancellis circumscripta est. Quae ego scio et proba, non probat id hominum practicum genus, quod nihil laudat, nisi quod vtile ad panem lucrandum est. Quae illi probant, ego etiam scio, sed prima non puto. Sed quorsum isthaec? Vt definant in posterum dicam inanem scribere.

Sunt vero Arabes, quorum fragmenta *de variolis* in vnum coegi RHASES, HALY ABBAS, EBNSINA, ISAAC, SERAPION, ALSAHARAVIVS et BVHAHYLYHA BYNGEZLA, ex Graecis ferioribus vnus SYNESIVS. In quorum editione curabo, vt res et voces barbarae, quantum eius fieri potest, breuissime explicentur, potiora vitae momenta apponantur, in calce glossarium adiiciatur. Hac via paucis plagulis comprehensam omnem de variolis doctrinam habebunt lectores, indeque intelligent, quid et quantum scierint Arabes, quid recentiorum industria adiecerit, quid adhuc in curatione morbi huius acuti sit reliquum. Nihil enim ab initio perfectum omnibusque numeris absolutum est. Dies diem docet, et repetita experientia facit medicum in re sua certum.

RHISIS^{a)} LIBER DIVISIONVM

OPERA PARVA fol. 51. a.

CAP. 114.

De Vestigiis Variolarum.

Vestigia variolarum indigent eis, quae impinguant corpus, et balnea assiduet, donec deleatur earum profundatio. Cum autem aequantur, liniantur cum litargiro albificato, cum oleo rosarum et radicibus cannae siccis, et semine melonis, et farina rizi^{b)}, et ossibus antiquis cum aqua hordei. Et si vestigia decliua fuerint ad nigredinem, administrabis epithima post balneum aut post vaporationem cum aqua cannae, et addes in eis medicinas fortes, sicut semen eruae, semen rasani, et grana de ben^{c)}, et costum. Si vero sunt similes gra-

a) *Abu Bakri Mohammed*, vulgo dictus *Rhazes*, et ob multiplicem experientiam *experimentator*, item *Arabum Galenus*, natus Raias in provincia Chorasana, carus suis, clarus apud posteros propter multiplicem scientiam, Graecorum medicorum imitationem et praeclara scripta, nosocomii Bagdadensis et MANSORIS regis medicus, summa senectute a. 1132. diem suum obiit. In scriptis eminet *Continens*, L. X. ad MANSOREM, quorum nonus de curatione morborum diu in scholis explicatus est, denique L. de variolis et morbillis. in quo noster primus omnium seorsim hunc morbum acutum bene pertractauit, in quo, iudice FREINDIO, (Opp. Lat. Lond. 1733. p. 332. seq. et Ep. de purgant. p. 90. et 97.) pauca desideres, quae ad morbi vtriusque naturam penitius cognoscendam et curationem rite perficiendam spectare videantur. Vitam eius, ex ABY OSAIBA desumptam, vid. Almanach fuer. Aerzte a. 1784. p. 15. seq. Editiones ap. HALLER. Bibl. Pract. T. I. p. 364. et Bibl. Chir. T. I. p. 127. Extat et graecus interpres, qui passim ab textu latino desleclit. Optima editio est arabica et latina, auctore CHANNINGIO, cuius versionem vna cum delectu notuarum Gottingae 1781. edidit Cl. RINGEBROIG. Etiam HALLER. Art. Med. Princip. T. VII. p. 211. seq. Hanc tamen particulam neuter habet.

b) *Rizi* .i.e. oryza.

c) *Grana de ben* i, c. glans vnguentaria.

granis lupinorum, tunc fac eis adhaerere lenientia, sicut medica-
men de dactylis, quod est hoc. Conterantur dactyli carnes cum me-
dulla panis simulaginei, et fiat, vt adhaereant desuper, et con-
terantur ficus plurimi mellis cum semine lini et mucilagine eius,
cum quo conficiatur farina similiae, et emplastretur d) cum eis, et
embrocentur e) cum aqua calida plurimum, et iungantur cum ce-
ra et oleo de keiri, et adipe gallinae et anatis.

HALY ABBAS f)

LIBER THEORICA E VIII.

CAP. 13.

DE PASSIONIBVS QVAE SVPERFICIEI CVTIS ACCIDVNT.

Ed. Lugd. 1523. pag. 97. a.

Passiones, quae in exterioribus fiunt cutis, aliae quidem ab
interioribus fiunt caussis, quae *praecedentes* vocantur, aliae ab ex-
terioribus, quas *manifestas* vocauimus. Et quae a praecedentibus
fiunt caussis, quaedam in toto apparent corpore, et illi commu-
nes sunt, vt *variola*, et quam *incessionem* g) dicunt, et *rubeolam*,
elephantia, *morphea* h). lepra — Et nos primum de his, quae ab
interioribus fiunt caussis in corporis exterioribus, dicemus passionibus,
inci-

d) *Emplastretur* i. e. imponatur emplastri forma. Vulgus Germanorum
dicit, *bepflastern*.

e) *Embrocentur* i. e. infundantur. *Embroea graece infuso* quam nos
fomentum dicimus, *infuso*, *asperso*, *embrochi*. Ita *explic. Clavis Sana-*
tionis Sim. Ianuensis.

f) *Haly, filius Abbas al Magioubi*, medicus Caliphae *Adad Heddulae*,
scripsit circ. 980. librum, *Almalec*, S. *Opus regium* i. e. *collectanea*,
facta ex Graecis sine proprio vsu, vt videtur, atque experientia.
Multa ad verbum habet *Isaac* et *Constantinus*. Prior an *exscripserit*
antecessorem, non constat, nec refert multis inquirere.

g) Quis morbus sit, non liquet.

h) *Morphea* i. e. Vitiligo.

incipientes ab illis, quae omnibus communes sunt membris, variola scilicet et rubeola — Et nos primum de variola, et causis ac signis dicemus.

CAP. 14.

De variola, et causis eius, et signis.

Variola 1) ulcera sunt multa et parua 2), quae omne confertunt corpus, aut in eius maiori parte, et aliquando quibusdam et non aliis accidit membris, quam antiqui *carbones* dixerunt *adustos*, graeci autem *filiis ignis* 2) vocant. Hae autem pustulae maxime in hominibus crescendi sunt tempore 3). Fetus namque in matrice sanguine pascitur menstruo, qui superfluitas quaedam est corporis mulieris, quem natura ab hepate per venas ad matricem k) expellit, quemadmodum alio diximus loco. Hic autem sanguis in substantia varius est et qualitate. In substantia quidem, quoniam aliquando sanguis in ea dominatur substantia 4), quandoque cholerae rubeae l), aliquando nigrae, nonnunquam phlegma, in qualitate autem, quoniam aut laudabilis est sanguis, aut est malus. Fetus itaque ex meliori pascitur, et eo ipsius nutriuntur 5) mem-

1) Variolae *Const.* 2) Multae pustulae in toto corp. *Const.* 3) Augmento aetatis. *Const.* 4) Quia aliq. ex mundi sangin. est essentia *Const.* 5) Augmententur *Const.*

2) *Filiae ignis s. carbones adusti* Carbunculus vocatur species anthracis. Anthrax est carbo ignitus. Sic Ianuensis, at Constantin. Afric. Loc. Med. Lib. VIII. 14. p. 226. seq. ed. Basil. 1539. qui HALY ABBAS ad verba exscripsit, dic. Antiqui vocant has ignis carbones, Syri filias ignis. Vid. Ill. Triller Epist. duae de anthracib. et variolis veterum, p. 1. seq. T. II. Opusc. qui cum HAHNIO anthraces veterum variolas recentiorum esse statuit, et nostras Antiquit. Morbor. Vratisl. 1774. p. 16. seq. Videntur vero nobis et sic nominatae esse variolae malignae. Infra dic. BVHAHYLYHA BYNGEZLA, sicut morbilli et lactae, qui graece appellantur herysipela, et arabice filiae ignis.

k) Haec ex hypothese falsa veterum.

l) Cholera rubea i. e. bilis flava, quae secundum Ebn Sina L. I. Fen. I. Doctr. 4. p. 13. ed. Bas. 1536. naturalis et non naturalis est, cuius iterum variae formae sunt. Ita etiam cholera nigra.

membra, reliquumque quod est 1), in eius remanet membris et venis. Vt autem fetus matris egreditur vtero, lacte nutritur, quod ipsum ex sanguine fit menstruo, cuius meliore parte membra pascuntur. Reliquum in corpore restat superfluitas, donec aliquando omnia haec commoueat causa ad corporis exteriora, et tunc apparet. Est autem eorum motus aut ab exterioribus causis, vt aere pestilentiali et in locis fessione 2), quae habitacula sint variolam patientium, in quibus qui sedent, aera respirant, quem vapores miscent ab vlcerebus variolarum dissoluti. Ab interioribus 3) autem, vt pueri regimen est, quod cibus calidis fit et humidis, et grossarum substantiarum, vt multarum comestio carniuum et dulcium, dactylorumque, aliique cibi superfluitatibus conuenientes malis, quae in corpore congregantur. Augent itaque quantitatem eorum, et ebullitio illis accidit. Confortata autem super eas natura expellit ad corporis exteriora, fiuntque ab eis pustulae, quae *carbones ignis* 4) vocantur. Hae in malitiae sunt augmento et diminutione iuxta superfluitatis qualitatem, a qua fiunt, et substantiam eius. Si etenim a quo generantur, sanguis calidae est complexionis et grossae substantiae, non malae qualitatis, ea fit variolae species, cuius in principio paruae sunt pustulae et rubeae, augenturque in magnitudine, donec ad lenticulae attingant quantitatem magnae 5), rotundaturque et profundatur 6), et fit illis corruscatio *m*), velociterque aperiuntur. Hae autem cum apertae sunt, colorem habent album, corruscum, similem margaritis 7), fitque illis cum apertione prurigo et durities, et haec eius species reliquis 8) salubrior est. Si autem variola ex sanguine fiat grosso, melancholico et malo qualitate, in principio ipsius pustulae

(b)

1) Fex *Const.* 2) Vel et. de sedili, in quo prius hanc habens pestem fedit et in sedili remanentis odorem morbi resid. postea odorauerit, aut de inter. *Const.* 3) De inter. sicut de infant. ordinatione in arteriis. *Const.* 4) Et nascuntur pruritae, quae voc. ignitae prunae, sunt pessimae sec. qualitates suae materiae. Si enim calida sunt in complex. *Const.* 5) In magn. lacertis mai. et crassior, augmentantur. *Const.* 6) Conterantur, et effectae lucidae. *Const.* 7) Dealbantur, et sicut perna delucidantur habentes prurigo. atq. duritiem. *Const.* 8) Lucidior et *Const.*

m) Fit corruscatio i. e. albescunt,

lae 1) oriuntur liuidi coloris, in quarum medio guttae sunt nigrae 2), quae cum creuerint, dilatantur, et ad inuicem continuantur, nec rotundantur, sed figura earum diuersorum est laterum 2), et color nimium liuidus aut in plumbi colorem, aut ad nigrum declinans, vt cineris color, aut ad croceum inclinans vel *bedemiacum colorem* 3). Hae cum eruperint, fiunt illis vesicae nigrae, aduersioni similes ignis, quae aliquando minime aperiuntur 3). Et quae huiusmodi sunt, ceteris iudicantur peiores et mortiferae. Quod si sanguini rubigo 4) misceatur, inter vlcera haec tumores surgunt, in quibus rubigo est similis guttis, quae exuersione fiunt ignis, vocanturque huiusmodi *sacer ignis*, et hae quam pessimae sunt variolae. Et in rubore species est aliqua, quae vocatur *ru-beola* 5), quae ex sanguine fit calido et subtili, et non multum malo 5), et haec species, cum ad statum peruenerit, similis fit milii granis 6) aut paullo maior, et eius color rubeus, nec aperiuntur pustulae, sed fluunt 7). Communia autem signa in variolae principiis febris est, et faciei tumor, temporum et organicarum 8), prurigo in naso 9), inflammatio, rubor in facie et in membro, in quo fiunt, capitis grauitas, in gurgulione 10) asperitas. Cum haec videris signa, cum inhaerenti febre, variolam procul dubio futuram agnosces.

LIBER

- 1) Pust. sunt liquidae, medio punctum nigr. habentes *Const.*
 2) Ear. forma in lateribus diuersatur. *Const.* 3) Pessimae et mortales. *Const.* 4) Quib. si admisc. sang. c. puretine acuta, fit vesica, sicut igni incensa, et voc. ignis sacer. *Const.* 5) Est it. variola ex sang. calido et subtili, non multa in pessima. *Const.* 6) Quasi milium est, aut minor. *Const.* 7) Nec aperiuntur, sed dilatatur et euanescit. *Const.* 8) Inflatio in facie, et temp. et gutturi, et arteriis maioribus *Const.* 9) Naribus et rubor in membro, vbi nascitur *Const.* 10) In lingua *Const.*

*) *Guttae nigrae* i. e. punctum nigrum.

o) *Bedemiacum colorem*. Quis ille color sit, non liquet. CONSTANT. legit, color liuidus atque plumbeus, cinerinus aut citrinus, aperte habens puretinem et ardorem, nigrum, sicut ignis incendia et. Neque hunc memorat Hier. Cardanus L. De Gemm. et Color. p. 308. Somnior. Synes. neque Ant. Thylesius L. De Color. p. 403. seq. ad calc. Actuar. An idem est, quem anthracinum i. e. atrum appellat?

p) *Rubeola* Variola subrubida, sic dicta a colore, vel ab *rubeola* f. *ruseola* i. e. placentae species colore subrubido, sub festo paschatis die pransa. Vid. *Cange Gloss.* voc. *Rascella*, *rubeola*, *ruseola*.

LIBER III. PRACTICAE

CAPVT. I.

De variolae et rubeolae medela.

Ed. cit. pag. 196. a.

Hoc in sermone et omnibus sequentibus medicamina et curas referemus passionis et morborum. Exponemus autem hic eo ordine et dispositione, quo explicauimus in signorum tractatu. Illic primum passiones, quae corporis accidunt superficiei, posuimus, quae ex causis ab exterioribus commotis fiunt, quae *praecedentes* vocatae sunt, primum vero omnium *variolam* et *rubeolam* *q*) inseruimus, ideoque et ab eorum hic incipiamus medela. Dico ergo, quoniam opus, cum variolae et rubeolae apparuerint signa, a prima die vsque tertiam patientis, accelerare phlebotomiam *r*) a media vena, extrahaturque sanguinis tantum, vt deficiat quantitate, si virtus, aetas, complexio et tempus anni adiuuerint. Et si, qui patitur, puer est, *siria* *s*) ei apponatur inter clunes et spinam, extrahaturque sanguinis quantitas, quanta expedit, deturque ei post sanguinis minutionem *t*) aqua hordei, in qua decocta sint iuiubae, sebesten, lenticula, tanquam hordei pars. Dabis autem cum papaueris syrupo aut iuiubarum, si tussis illi aut in gurgulione fuerit quaeuis molestia; Quibus si caruerit, cum granatorum propinabis *aquam muzorum* *u*), dabisque deinceps aliquid syrupi iuiubarum aut papaueris, granata fugat muza optima, pasces hunc mezauro *x*) cum cucurbitis facta lenticula granatorum aquam et dulcium oleo amygdalarum. Et si tussis comitatur, me-

(b) 2

zau-

- q*) Rubeolam i. e. morbillos.
r) Si febris inflammatoria est.
s) Siria) i. e. cucurbita cruenta. Sic enim videtur,
t) Minutionem i. e. detractionem sanguinis. Nam *minuere* simpliciter vel *minuere sanguinem*, est sanguinem mittere, *minutio* i. e. venaesectio, *minutor* i. e. venae incisor, s. chirurgus.
u) *Aquam muzorum*) i. e. granatorum dulcacidorum secundum *Sylv. Granarum muzum* i. e. acidum. *Ebn Sina*.
x) *Mezaurum* in regali dispositione est *ius* i. e. *cibus liquidus*. *Synops. Mich. de Capella. Mezaure omne ferculum, in quo non ingreditur caro. Bellunenf.*

zaurum cum spinachiis fiat, aut atriplicibus, aut *chabezi*), et his similibus. Quod si variolarum immorabitur egressio, materiam emittere moliaris, et vt appareat exterius variola velociter, ne forte cordis tremor accidat aegrotanti et mors, dabis itaque illi hoc medicamen. Assignatio 2) eius. Sumatur foeniculi feminis ʒij. Laccae mundatae ʒvij. Sine corticibus lenticulae ʒiiij. *Quantitate* ʒij. Coquas omnia haec in aquae libra. ʒ. donec redeat eius quantitas ad quartam partem, colatisque superpones spodii obolos ij. Bibat autem hoc frigidum. Si autem granatorum aquae aliquid addideris, vtilius erit. Assignatio alia, vt appareat variola. Sumatur ficus ʒv. Lenticulae sine corticibus ʒvij. Laccae exagria tria, foeniculi feminis ʒij. et dragaganti tantundem. Coquantur omnia in lib. aquae, donec ad tertiam redeat, superadaturque croci orientalis aliquid, et propinetur per futurum. Cum autem in pectore aliquid est asperitatis, dabis patienti parum *lahabi a)* feminis psyllii, et feminis lini ac cydoniorum cum amygdalarum dulcium oleo modico, reprimasque a dulcibus et calidis patientem. Cibum subtilia, quemadmodum in febricitantibus fit. Vt vero ad statum morbus peruenerit, in conspectu patientis *ardfani b)* succendas et granatorum virgas ac vitis, si quidem tempus hiems fuerit, et si aestas, vaporabis illum cum sandalo et myrto, lecto eius rosam pulueriza tritam et similia. Cuius si natura fuerit desiccata, admisceas ei hordei aquae aliquid mane, et si non prodest, cassiam fistulosam, rotulam et mannam: Dabis et prunorum *lahucum c)*. Quod si mollis illi fuerit natura, aquam

1) *Chabezi* Cabezi Steph. scripsit pro *cubeze*, et est *cubeze* apud Avicennam secundo canone *malua*. Tamen *Haly* quinto Theoricae scripsit *chabezi*. Synon. *Mich. de Capella*.

2) Assignatio i. e. inscriptio f. formula.

a) *Labanum* saepe inuenitur in regali dispositione *Haly*, et est mucilago cuiuscunque rei, vt psyllii, feminum lini, foenu graeci. *Lababe* dicit Arabs. *Sim. Iauensf.* et hinc Synon. *Mich. de Capella*.

b) An idem, quod *rarafa* et *rarfe*? Id quod secundum *Sim. Iauensem* et *Mich. de Capella* est tamariscus. Ita videtur, Nam ceteri medici hoc in casu tale suffimentum commendant.

c) i. e. *linctus*.

aquam fucci hordei illi dabis, in qua mirti grana fuerit cocta cum *gumed*) arabico modico et terra armenica, et cretica, quae et melior est. Dabis etiam spodii trochiscos constipantes cum mirti robo aut cydoniorum aqua, et pirorum succo. Et si tussim patitur, cum mirti oleo reficies illum lenticula, sine cortice frixa, quae cum granatorum aqua decoquantur muzorum et mezauro cum *hemuta* in *al hemaze*) foliis facto, et lenticula decocta, cuius aqua prima abiecta sit, aut aqua milii cum hordei succo decocta. Dabis illi poma, pira, cydonia. Et omnino naturam caueas emolli- re post septimum, maximeque in rubeola et in morbi vltimis, quoniam in eo solo periculum est. Materies namque si non egrediatur, reliquum necesse est in corporis referatur profundum, et pungit intestina, et diarriam prouocat ac dissenteriam. Trochiscorum spodii assignatio constipantium. Sumantur rosae \mathfrak{v} j. Seminibus *hemaze f*) siluestris, berberis et granorum mirti, cuiusque \mathfrak{v} ij. Gume Arab. Spodii, terrae creticae, cuiusque \mathfrak{v} ij. Amili frixi \mathfrak{v} ij. Croci orientalis \mathfrak{v} j. Terantur omnia diligenter cum feminis psyllii *lahabo*, distemperatur ac trochiscuntur a \mathfrak{v} : usque exagium \mathfrak{g}), bibantur autem cum mirti robo aut cydoniorum. Nec desistes patientem regere hoc regimine, donec ad flatum morbus perueniat. Tunc cataplasma *h*) eum trochiscis, qui vocantur *anotomi* in *al ataromi*), et eorum haec assignatio.

Sumantur libani, gallae viridis, cuiusque exagium viij. Aluminis iemenici et mirtae optimae, cuiusque exagium iij. *Colandesi* exagium j. Aristolochiae longae exagium Xii. Tere omnia diligenter, et subtilissimo cribra panno, et cum vino distempera. Assignatio alia, *Selbi* iemenici, cerae mundae, cuiusque exagium

(b) 3

d. Ari-

d) *Gumma zabara* ap. *Haly Abbatem* est *arabica gumma*. Synon. Mich. De Capella.

e) *Hemaze atteregi* apud *Haly Abbatem* videtur sonare *acetositas citri*. Synon. Mich. de Capella.

f) Vide supra.

g) *Exagium nomen ponderis, et est idem, quod aureus, et est sexta pars unciae, et est vna dragma et semis, quia dragma est nona pars unciae*, Ianuens.

h) *Anotomi* in *al ataromi*) Quinam sint illi trochisci, nescio.

i) *Cataplasma* i, c. Superimponere.

d. Aristolochiae longae exagium o. Gallae immaturae exagium
 f. Omnia diligenter trita cum subtilissimo panno cribra, et cum
 vino distempera dulci, trochisca k), et cum opus fuerit, vtere,
 sed prius diligenter tritum subtili cribra panno, et aquam desuper
 corpus rora l) rosa, donec vt balnei fiant sudores, et cataplasma-
 bis. Vt autem desiccari inceperint, sale vteris, quo illum sales
 contrito diligenter cum sisami oleo. Hoc cataplasma bis corpus ad
 solem, et si tempus est hiems aut ver, aut autumnus, quo non
 arcetur loco frigore, lauabiturque in aqua, in qua decocta sint
 mirtus. Et si excoriari illum videris, bonum: Si non, sal appo-
 ne secundo post diem tertium. Et cum excoriare illum coepe-
 rit, cataplasma bis illum terra alba cum modico sale, et vsque
 quinque horas dimitte, et post cum aqua lauetur, in qua decocta
 sint mirtus et palea, et duobus vel tribus diebus dimitte. Post-
 haec risi m) albi farina illum cataplasma, et milii ac pauco *Zafrani*
non n), et super illum nocte et die dimitte, et secundo mane in
 aqua laubis, in qua surfur bulieris et paleam. Attendendum au-
 tem oculorum custodiae in principio, ne forte aliquid in eis ap-
 pareat variolae. Stillabis itaque in illos *quassia* o) aquam et gra-
 natorum mazorum. Et si pustularum in eis apparuerint aliquae,
 collyrium in eis excute espanicum, conditum cum *quassia* aqua, et
 aquam instillabis rob, cui infusum fuerit sumac, etiam antequam
 in illis appareat quicquam. Nec vero opus variolam patienti pul-
 los cibum dare, donec febris omnino discedat, et cortices p) eius
 reciderint, et calor recedat.

CAPVT V.

k) *Trochisca* i. e. sige trochiscos.

l) *Rora* i. e. guttatim instilla.

m) *Risi* i. e. oryza.

n) *Zafrani* i. e. crocus, in pluribus locis posuit Haly. *Syn. Mich. de Capella*. Arab. *Zabafaran*, parum corrupta *safran* dicitur. *Sylu.*

o) *Querassum* pro *Querss*, quod est apium, et alii *querefferum* scripsit Stephanus. *Synon. Mich. de Capella*. *Quesarum* i. e. apium *Ant. Vitalis*.

p) *Cortice* i. e. squamae.

De ulcerum variolarum macularum medela et liuoris

In vlcerum et variolae maculis medicaminibus vtendum est, quae ponemus. Assignatio vtilis vlceribus et variolae maculis. Sume lithargirii, radicum *cathemie* q) i. *alcane* siccarum, ciceris farinae, ossium veterum, farinae risi, seminis melonis excoriati, baccarum lauri, carpobalsami, costi, centaureae, partes aequales. Trita diligenter omnia cum seminis melis r) aqua distempera, aut cum *cacale* aqua, et maculas cataplasma. Alia. Sume *talebum* s), et in oliuae oleo decoque, donec spissetur, et locum cataplasma. Vel fume anatis adipem et asini siluestris adipem, et locum inunge. Et si caput aut bouis fel sumseris, et eo maculas cataplasmes, extirpantur. Idem facit succus apii et *ferasii* t) aequaliter sumtus et tritus, si cum melle distemperetur, et loco apponatur macularum. Vel fume cerusi u), plumbi et litargirii aequales partes, et cum aceto distempera, et cataplasma. Liuor autem his extirpatur medicaminibus. Assignatio eorum. Nitrum rubeum tere diligenter, et cum vini aceto distempera, locumque cataplasma, aut cum nitro lauabis, et emplastriza cum *haleo in al' oleo* et *hebatrico* x), aut hoc certe emplastro. Assignatio eius. Nitri, *condisi* y), gumme pruni, aequales partes, et cum melle distempera, liuoremque cataplasma, et liga, et singulis tribus immuta diebus, et si liuoris locum acu pupugeris, et sanguinem extraxeris a multis locis, locumque trito fricaueris sale, ac pus cum nitro et *botami*

q] *Cathemia* scripsit *Steph.* pro *Khitim*, quae est althaea. *Synon. Mich. de Capella. Semen cathemie* i. e. *psilii. Ant. Vital.*

r] *Melis* i. e. melissae, vt videtur.

s] *Talebum* scripsit *Stephanus* pro *solatro*. Sic *Synon. Mich. de Capella*, negat *Sim. Iauens.*

t] *Succus ferasii*] An idem, quod *farasonum*? Hoc secundum *Syn. Mich. de Capella* ponitur pro *prassio*.

u] *Cerusi* i. e. cerussae.

x] *Heleo in al' oleo et hebatrico*] Quid barbarae hae voces significant, nescio.

y] *Condisi* i. e. ellebori albi. *Auerroes.* Per *ostrarium* expl. *Iauens.*

mi abalaco z) emplastrizaueris, liuor extirpatur. Omnibus autem vtilius his medicamen est acutum, quod *dieberdich* a) vocatur, si diebus aliquibus apponatur, et illi loco adhaereat. Locum etenim illum aduret et denigrabit, dehinc et cum butyro cura, et post cum vnguento carnem adducente: Extirpat enim locum liuoris, et carnem annullabit.

LIB. X. PRACTICAE

pag. 313 a.

C A P. XX.

de Syrupis.

Syropi candari assignatio, variolae et rubeolae materiabus vtilis et morbis pestilentialibus putridisque. Sume ligni *candari* tunsi libram, aquae foeniculi lib. virgarum eius et foliorum eius lib. Corticum radicum *rasianegi* b) lib. rosarum optimarum lib. 5. spicae aromaticae, laccae purgatae, cuiusque ʒiiij. Sandali rubei et albi ʒxx. Omnia haec in iiij. suavis aquae lib. die infunde et nocte, sicque lento coques igne, donec supersit triens, fricataque fortiter cum panno colabis stricto lineo, et ad ignem referes, addeque vini aceti lib. ij. granatorum dulcium et acetosorum aquae lib. iiij. temperatoque coques igne, donec spissum fiat, sicque *zaccare tabarzedi* c) mena iniecta super prunas, donec perfecta, vt expedit, eius fiat spissatio, fines: Cumque ab igne deposueris, dissolue in eo camphorae ʒiiij. Zafrani tantundem, sed cum tepidum fuerit, vase condens vitreo. Dabis viris exag. iij. pueris exagium. Hoc est, eorum, quae apud *Baldach* dignioris sunt exemplaris, suntque eius experti bonitatem vtilitatisque magnitudinem in his, quos supra diximus, similibusque morbis.

Supereff, vt, quare haec scripta sunt, paucis intelligant rerum academicarum fautores. Indicenda sunt sollempnia Cl. Medicinae Candidati, Cuius quae fuerit vitae studiorumque ratio, ita expressit.

Ego, AVGVSTVS IOANNES GEORGIVS CAROLVS BATSCH, *natus sum*
tenae die XXVIII. Octobris anni MDCCCLXI. Patre GEORGIO
 LAVREN-

z) Botami *abalaco*. Quid sibi velint haec vocabula, non constat.

a) *Dieberdich*. An quaedam vesicatorii forma? Nam sic *Bekunensis* expl. *Dichbardich* est medicamen compositum causticum *Rasis*.

b) *Rasianegi* s. *raseinegum* s. *racienigi*, est feniculus secundum *Sim. Iannens.*

c) *Zaccare tabarzedi* i. e. album saccharum.

LAVRENTIO, nunc iudicio feudali Ducali Saxo-Vinariensi ab epistolis, matre IOANNA ERNESTINA MARGARETHA e familia FRANKE oriunda. Optimi parentes nihil neglexerunt, quod in aetate tenera animum ad mores meliores flectere, et scientiae rudimentis imbuere posse videbatur. Variorum praeceptorum iustructionibus usus sum ad scientiam olim profuturam comparandam: Inter quos praecipue honoris et grati animi causa nominare iustum est Summe Venerabilem BLASCHIVM, S. Theologiae Professore, et Excellentissimum FISCHERVM, Consiliarium Commerciorum, qui me in litteris humanioribus exercuerunt, dum in primis vitae annis ex benevolentia ILLUSTRIS et de me longe meritissimi viri, IOANNIS LAVRENTII DANIELIS SVCCOWII, tunc Pro-Rectoris Academiae Magnifici, nunc eius Senioris, Fautoris summe venerandi, receptus sum in numerum civium academicorum, sed anno demum MDCCCLXXIV, studia academica aggredi coepi. Inde ab illo tempore tanta in me redundavit Doctorum longe celeberrimorum, praestantium et fidissimorum benevolentia, tanta percepi fauoris signa, ut, nisi impossibile, tamen difficile sit desinitu, cui primas dem. Nec hoc permittit tantorum virorum modestia liceat tamen publice profiteri, a quibus magistris et professoribus profecerim. Docuit me Illustris SVCCOWIVS Mathesin utramque, Physicam, chemiam, scientias forestales et camerales: Beatus WALCHIVS Historiam naturalem et, quantum citatum fatum permittebat, Physicam sacram: Illustris HENNINGS p. t. Pro-Rector Academiae Magnificus, Logicam: Beatus IOACH. ERDM. SCHMIDT Historiam statuum Europae, et Excellentissimus MÜLLER eandem et Germanici imperii Historiam, cum antiquitatibus Germanorum copulatam. Nec desiciunt uberrima gratissimae mentis documenta, si ad clarissimos medicinae professores me conuerto. Beatus NEUBAVER mihi omnem anatonem tradidit. Illustri NICOLAI debeo praecepta Physiologiae, Materiae medicae, therapiae specialis et Medicinae forensis: Illustri GRVNERO dogmata Physiologiae, Pathologiae, Diaeteticae, et Therapiae specialis. Illustris LODER vero me docuit historiam naturalem, artem obstetriciam, chirurgiam et anatonem, inmo corpora humana dissecandi occasionem largam mihi benevole praebuit. Illustris STARKE secutus sum magi-

strum in arte obstetricia, et ducem ad aegrorum lectos. Excellentissimus HALLBAVER chirurgiam tradidit, et Experientissimus SCHENKE Osteologiam, Anatomem et botanicen. Nihil est, quod addam, cum viri celeberrimi et peregregii nec mea laude egeant, nec grati animi sensus pro dignitate his paucis exprimi valeat. Patet per se, quantum Iis debeam, et qua attentione merita tanta a me colenda per omnem vitam sint. Plures postea annos impendi studio naturae, cui maxime jaeuo, eique, cum demum optarem, ut studia mea in publicos cederent usus, horas subsceivas dare potui. Iam anno MDCCCLXXXI. impetravi ab Amplissimo Philosophorum Ordine dignitatem Doctoris Philosophiae, et nonnullas docui partes Historiae naturalis; Absolvere labores per fati iniquitatem non licuit. Nunc vero Clementia Serenissimi Principis CAROLIAUGVSTI, Ducis Saxo-Vinariensis Clementissimi, Rectoris Academiae Magnificentissimi, iterum caris scientiis et dilectissimae patriae restitutor, id unum dolens, quod orationis meae infantia impar sit principalis clementiae digne celebrandae, certo tamen sperans, fore, ut PARENS PATRIAE OPTIMVS molimina mea qualiacunque clementer foueat.

Hactenus ille. Qui cum nuper redux in patriam academiam factus animo secum constituit, magistrorum e numero esse, et si per fata licet, prodesse quamplurimis, adiit ordinem nostrum, nomen professus, subiit examen rigorosum, ut maiores voluerunt, et dignus habitus est, cui liceret gradum doctoris rite adsequi honoresque debitos reportare. Fiet hoc a. d. 10 Maii, quo defendet, ni fallimur, strenue suam dissertationem.

Ut ergo adsint frequentes PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES CONSCRIPTI ceterique PROFESSORES CELEBERRIMI, nec non GENEROSI et NOBILISSIMI COMMILITONES, et si qui supersunt litterarum bonarum ac instituti veteris FAVTORES, huncque actum praesentia sua condecorare velint, Ordinis mei verbis decentissime et humanissime rogo. P. P. Sub Sigillo Facultatis a. d. x. Maii MDCCCLXXXVI.

(L. S.)